

omnia, quæ apparere possit dictum Jacobum a quavis persona accepisse per usurariam pravitatem, vel alio quovis modo illicito qualicumque, & ulterius soluturum, quod pro nobis taxatum foret pro male ablatis incertis ipsius Jacobi antedicti in usus pauperum erogandum, ut in actis nostræ curiæ potest latius apparere; ecce comparuit coram nobis Presbyter Conradus prædictus ad sui excusationem producens cautionem dicti Jacobi de usuris restituendis receptam per Notarium publicum 10

certum scriptum manu quo continentur quamplures, & variæ solutiones, & restitutiones tam per ipsum Jacobum tunc viventem, quam per ejus heredes diversis personis factas, deinde ipsum absolvit, & restituit communioni Ecclesiæ, & taxat heredes in florenos centum, quos Presbyter dictus, & Rector Uvadæ solvit Episcopo dicto. *In fine hujus chartæ hi tituli adjungebantur.*

MCCCXCVI., II. januarii in Bestagno in domo S. Mariæ plebis de Bestagno dictus D. Henricus 20 Scarampi Episcopus Aquensis investit Marchetum de Bove de domo in Pusterna.

Eodem anno investit Thøestum de domo in Pusterna, qui pro illa tenetur dare minam unam vini boni, & speltæ.

Eodem anno, die XVI. januarii in Bestagno dictus D. Henricus investit Jacobum Rabelinum de Aquis de petia una terræ sita in posse, qui dicitur Horzenos.

Eodem anno, die X. februarii eodem loco idem Episcopus investit Marchetum Bux de domo in 30 Pusterna.

Eodem anno, die VII. febr. in civitate Aquensi Franciscus Bordela constituit procuratorem suum Lothelinum Baudizzonum de Bestagno, & Petrum de Bonohomine, procuratores suos in causa, quam habet contra Luchinum de Pontibus rectorem Ecclesiæ S. Hyppoliti de Bellomonte de Nicia.

Eodem anno, XX. martii Paganus Mascharus vendit sextarium terræ ad ratam XXVIII. tabularum pro sextariis Jacobo de Arcaxio pro florenis 40 decem auri.

Eodem anno, die XX. augusti Biatexina testamento relinquit corpus Ecclesiæ S. Mariæ Plebis, Ecclesiæ S. Joannis solidos duos, & si contingeret, quod Ecclesia S. Ambrosii rædificaretur solidos quinque, ordini S. Catalinæ solidos quinque.

Fundatio monasterii S. Claræ Alexandriæ per D. Conradum de Puteo approbata a Bonifacio. 50

360

M C C C C I I.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCCLII., indictione X., die ultimo mensis decembris, in civitate Alexandriæ, in monasterio ædificato, & constructo per nobilem virum D. Conradum de Puteo, filium quondam D. Antonii sub nomine, & vocabulo S. Mariæ de Angelis, sito in dicta civitate in quarterio Roboreti rugata capitis villæ, & præsentibus testibus infra scriptis ad infra scripta, & ad præsentem actum fiendos specialiter 60 vocatis, & rogatis. Cum Rev. in Christo Pater, & D. D. Guillelmus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Papiensis, & Comes receperit litte-

ras sanctissimi in Christo Patris, & D. D. N. D. Bonifacii divina providentia Papæ IX. cum bulla plumbea in filis canapis more Romanæ curiæ bullatas, non viciatas quidem, nec corruptas, sed sanas, & integras, & omni prorsus vicio, & suspicionem carentes, quarum quidem litterarum Apostolicarum tenor sequitur in hac forma. „ Bonifacius „ Episcopus servus servorum Dei Ven. fratri Episcopo Papiensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Sollicitudinis pastoralis officii, quod super „ omnes orbis Ecclesias, & monasteria dispositione „ divina licet immeriti gerimus, continue pulsat, „ & excitat mentem nostram, ut cunctarum fidelium Deo dicatarum virginum, quæ mundanis „ relegatis illecebris sub arctioris vitæ observantia „ ei fervire desiderant, qui est præ filiis hominum „ speciosus, commodis intendamus, ac in his, quæ „ divini cultus augmentum, & religionis observantiam concernunt, eas Apostolici favoris præsidio „ foveamus. Sane petitio pro parte dilectarum in „ Christo filiarum Agnexinæ de Trottis, & Agnexinæ Rapæ, ac Florinæ Leonæ monialium monasterii sancti Martini de Foro ordinis sancti Benedicti Romanæ Ecclesiæ immediate subjecti Aquensis diocesis nuper nobis exhibita continebat, „ quod propter guerras, & alias diversas tribulationes, quæ diu viguerunt in partibus Lombardiæ, & præcipue in districtu Alexandriæ, ipsum „ monasterium funditus diruptum, ac postratum existat, propter quod moniales dicti monasterii „ hinc inde vagantes aliquæ ex eis decesserunt, „ aliquæ vero, & præcipue Agnexina de Trottis, „ & Agnexina Rapa, ac Florina Leona prædictæ ad civitatem Alexandriæ se reduxerunt, & ibidem in quadam domuncula situata in loco minus „ honesto, & quasi prope murum dictæ civitatis degerunt, prout degunt de præsentem in divini „ cultus detrimentum, ac dicti ordinis vilipendium, „ & scandalum plurimorum. Cum autem sicut eadem petitio subungebat dilectus filius nobilis vir „ Corradinus de Puteo civis dictæ civitatis quoddam monasterium sub vocabulo sanctæ Mariæ de „ Angelis pro nonnullis monialibus inibi sub ordine, & regula sanctæ Claræ Altissimo perpetuo servituris construi fecerit; ipsæque Agnexina de „ Trottis, & Agnexina Rapa, ac Florina Leona, quæ ex omnibus dicti monasterii sancti Martini „ superstites remanserunt, desiderent dictum monasterium sanctæ Mariæ intrare, & ibidem cum aliis „ ipsius monasterii monialibus sub ordine, & regula sanctæ Claræ hujusmodi Domino perpetuo famulari, pro parte earundem Agnexinæ de Trottis, „ & Agnexinæ Rapæ, & Florinæ Leonæ nobis „ fuit humiliter supplicatum, ut cum præfati Corradini ad id etiam accedat assensus eis præmissa „ faciendi licentiam, ac quod dicti monasterii sanctæ Mariæ, quoad vixerint rectrices, & gubernatrices esse possint, & debeant concedere, ac „ omnia, & singula bona fructus redditus, & proventus, & jura ad dictum monasterium S. Martini spectantia eidem monasterio S. Mariæ dare, „ & appropriare, & alias ipsis, ac ipsarum statui in præmissis providere de benignitate Apostolica